

5. Obsessus quidam exercitus 8500. militum victum habet ad 11. menses; verum spes nulla est solutionis obsidionis, vel futuri auxilij, nisi post 25. menses. Quot ergo milites retinendi sunt, vt reliquis victus sufficiat ad 25. menses? Numeri ita disponendi sunt.

Menses.	Milites.	Menses.	Milites.
11.	8500.	25?	fiunt 3740.

Retinendi ergo erunt milites 3740. his enim victus sufficiet ad 25. menses, dimittendiq; propterea erunt milites reliqui 4760.

## REGVLA TRIVM COMPOSITA.

## CAPVT XIX.

**F**IT, vt interdum plures, quàm tres numeri proponantur noti, ita tamen, vt sint semper tres principales, alij autem illis adiuncti minus principales, denotantes vel tempus, vel lucrũ, damnumve. Quod vbi contigerit, fit regula trium composita, & tunc vel instituenda erit regula trium bis, aut ter, vel quilibet per sibi adiunctos multiplicandus, vt fiant tres tantum numeri noti, per quos quartus ignotus eliciatur, vel certe alia quædam via tentanda. Id quod sequentibus exemplis perspicuum fiet, in quibus variæ quæstiones de lucro, damno, interueniente etiam diuersitate temporis, & varietate lucri in ratione tot pro 100. discutientur.

Regula  
triũ com-  
posita qd  
& quomo-  
do fiat.

1. Sunt 8. in communi conuictu, quorum singuli singulis mensibus soluunt 6. aureos. Quantum ergo erit pretium victus omniũ ad

L

4. an-

Quæst. 1.